

Psalmus responsorius

Ps 62, 2abcd. 2e-4. 5-6. 8-9 (Rx.: 2b)

Rx. Sitívit in te ánima mea, Dómine, Deus meus.

² Deus, Deus meus es tu,
ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea,
te desiderávit caro mea. Rx.

In terra desérta et árida et inaquósa,

³ sic in sancto appárui tibi,
ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

⁴ Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas,
lábia mea laudábunt te. Rx.

⁵ Sic benedícum te in vita mea
et in nómine tuo levábo manus meas.

⁶ Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea,
et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. Rx.

⁸ Quia fuísti adiútor meus,
et in velaménto alárum tuárum exsultábo.

⁹ Adhæsit ánima mea post te,
me suscépit déxtera tua. Rx.